



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 9. Confirmationis sacramentum non esse negligendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

virilem aut senilem ætatem tunc sacramen-
 tum istud differebant) confirmare volente,
 neque habente Clerico sacri olei ampullam,
 turbatio magna extitit. Anxius Clericus vi-
 am iisdem vestigijs, recalcat, recurritq; eò,
 vnde venerat. Dum, oculis huc, illuc, cu-
 riosè missis, rem perditam indagat, reperit
 ampullam in via iacentem, insigni auctu lo-
 cupletatam. Nam, quæ antè nec media sui
 parte plena fuerat, iam oleo sacro, vsque
 ad summum marginem referta, toti multi-
 tudini sufficiebat, ad petitum Confirmatio-
 nis Sacramentum suscipiendum. Igitur, qui
 mulieri Sarephtanæ, per Eliam, dixit: *Hy-* 3. Reg. 17.
dria farina non deficiet, nec lecythus olei minue- 14.
tur, ille etiam, ad spirituales usum, oleo
 addidit incrementum.

§. IX.

*Confirmationis sacramentum non esse
 negligendum.*

Is ergo inuocandus est, qui nouit elicere Deut. 32.
mel de petra, oleumq; de saxo durissimo; siue id 13.
 ad corporis sustentationem requiratur, siue
 ad animi salutem. Fatuis Virginibus simi- Matt. 25.
 les sunt, qui non ad Deum, sed ad homines 8.
 dicunt: *Date nobis de oleo vestro.* Quod fanè
 faciunt, quicumque non negligunt oleum,

I § quo

Euseb.
lib. 6. Ec-
cles. c. 35.
Niceph.
l. 6. c. 3.

quo cibos condiant, aut corporis leniant tu-
bera & cruciatus; at de sacro oleo, quo ani-
mā in fide confirmant, nihil omnino curant.
Hinc tam sunt ad luctam, contra cacodæ-
monem aut Mundum, ineundam imbecil-
les. Hinc adeo parum, pro Religione labo-
rant. Hinc castra & signa Ecclesiæ tam faci-
le deserunt, & qui pro Catholicis stare debu-
erant, sunt primi hæreticorum defensores.
In Nouato Exemplum recenset Eusebius &
Nicephorus. Is, in morbo, baptismo tinctus,
post morbum, supersedit Confirmatione si-
gnari. Quare, persecutionis tempore, me-
tu victus, presbyterum se negauit. Negatis,
ô fatui, Christum, quouis periculo terremi-
ni; quia à Deo oleum, & Spiritus S. vnctio-
nem non flagitatis. Apud vos ergo Christus
& oleum & operam perdidit, frustra pro vo-
bis passus, frustra Confirmationis Sacramen-
to vim passionis & sanguinis sui largitus.

C A P V T VII.

*Prouidentia iudicijq; diuini Bonitas, in
Spirituali SS. Eucharistia alimento miri-
ficè subministrato, declaratur. Vbi etiam
docetur, quàm grata sit Deo, Spi-
ritualis communio.*

§. I.